



7. DISSERTATIO PHILOSOPHICA: 1738, 10

DE

IMMORTALITATE
ANIMAE HUMANAE, 11

QUAM

ADJUVANTE DEO

ET

PERMITTENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
ORDINE,

IN ACADEMIA GRYPHICA,

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,

PRÆSES

M. PAVLVS CAROLVS
PEETSCHIVS,

SMALANDO-SVECVS,

RESPONDENTE

ALBERTO BEHRENS,

RACVIENSI-POM.

PH. & S. THEOL. CVLTORE.

P. 525.
HABEBITVR DISSERTATIO, DIE XXVI. MARTII, MDCCXXXVIII.

GRYPHISWALDIÆ,

EX OFFICINA CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYPOGR.



VIRIS.

EXCELLENTISSIMIS. AMPLISSIMIS.
ATQVE. DOCTISSIMIS.
EXPERIENTISSIMO. DOMINO.

DN. CHRISTIANO. STEPHANO.
SCHEFFELIO.

MEDICINAE. DOCTORI. AC. PROFESSORI. REGIO. PVBLICO.
IN. ALMA. GRYPHICA. LONGE. CELEBERRIMO.
P. T. FACVLTATIS. SVAE. DECANO. SPECTATISSIMO.

NEC. NON.
CELEBERRIMO. DOMINO.

DN. ALBERTO. GEORGIO.
SCHWARTZIO.

PHILOSOPHIAE. DOCTORI. AC. PROFESSORI.
REGIO. ORDINARIO.
IN. ACADEMIA. EADEM. INCLVTO.
VT. ET. H. T. FACVLTATIS. SVAE. DECANO.
VIGILANTISSIMO.

MAECENATIBVS. EVERGETIS.
PATRONIS. JVXTA. AC. PRAECE-
PTORI. NVLLO. NON. PIETATIS. AC. OBSE-
QVH. CVLTV. AD. CINERES. VSOVE.
COLENDIS. DEVENERANDIS.

CVM. APPRECIATIONE. OMNIGENAE. SALVTIS.

IN. GRATI.
PRO. VARIIS. ET. INSIGNIBVS. IN. SE. AD. HOCCE
VSOVE. TEMPVS.
BENIGNISSIME. COLLATIS. BENEFICIIS.

ANIMI. TESSERAM.
ET. AD. VLTERIOREM. EXIGVORVM. STVDIORVM. SVORVM.
COMMENDATIONEM.
ACADEMICAS. HASCE. CEV. LEVISSIMAS. AC. OMNI. FORTE.
LIMA. DESTITVTAS.

PRIMITIAS.
CONFIDENTER. SACRAS. FACIT.

D. D. D.

CLIENS. AC. SVBMISSVS. CVLTOR.

ALBERTVS. BEHRENS

LECTORI AEQVO PARITER
AC BENEVOLO

S. P.



Haec, quae TIBI in manus traditur Dissertatio, militat pro immortalitate animae, idque habet pro scopo, ut huius tam arduae, tamque utilissimae veritatis certitudo magis magisque per principia ex rationis lumine petita stabiliatur, iisdemque, tanquam firmissimis quibusdam munimentis obsepta ac circumvallata, conspiciatur. Desudavi quoque eo lubentius in pertractando hoc argumento, quo maiori industria in id incumbere decet, quod felicitati humani generis augendae, saltem confirmandae haud inepte inservire potest. Equidem non sum ex eorum numero, qui sibi bimet ipsis blandientes se cuncta acu tetigisse, firmissime sibi persuadent, seque nihil eorum, quibus res penitus enucleari, funditusque exhauriri potuisset, intactum reliquisse, fere ad raucitatem usque clamitant, quamvis vel centies leges praescriptas migrasse deprehendantur. Non possum tamen, quin hoc loco, sine vanae gloriolae captatione ingenue profitear, me eo animi nervos intendisse, ut, quantum per vires artis fati limitibus circumscriptas, fieri licuerit, demonstrandi ratio ita procederet, ut vis quaedam convincendi eisdem inesset, eidemque continuo adhaereret. Nemo
A vero

vero existimet, me, quum illud ipsum subeam negotium, quod ali certe fat multi, & notioris notae Viri perficiendum in se susceperunt, legentibus bis, vel si manis, decies repetitam cramben apponere. Ferax quidem recentior inprimis aetas scriptorum huius argumenti fuit, id quod haud obscurum iis esse poterit, qui ad historiam rerum in orbe litterario gestarum, aliquatenus tantummodo animum admouerunt; Non omnia tamen in hac materia ita esse exhausta, quilibet quoque rei litterariae non omnino expers, facile mihi concedet, vt dictis non quaedam adhuc possint adiici, iisdemque maior lux adfundi. Quamuis itaque noua ac inaudita huic argumento addere non potuerim, nihilo tamen fecius me inique egisse, certo certius mihi habeo persuasum, si ab hac dulcissima materia, quum quaedam enucleatius in eadem a me explicari, magisque enodari potuerint, animum reuocassem, penitusque ab eadem abstinuissem. Accipe itaque L. B. paucae hasce eodem animo pagellas, quo TIBI eadem a me offeruntur, easdemque in vsum TUUM confer. Et licet hae ipsae pagellae non Sophocleum quid & ad Cleantis lucernam excogitatum ac elaboratum in se contineant, mihi tamen sufficet, si ad confirmandam humano generi vtilem scientiam vel minimum conferre eo ipso mihi contigerit. De cetero eam de TE. L. B. conceptam foveo spem, eamque fiduciam, fore, vt si quid minus accurate a me prolatum ac consignatum fuerit, illud in re difficillima magis festinationi, quam intentioni tribuas atque adscribas.

§. I.

§. I.

Ens illud, quod in homine sui rerumque aliarum sibi est conscius, dicitur *mens* seu *anima humana*. Mens vero sibi rerum aliarum & sui *conscia* esse dicitur, quando res simul repraesentatas a se invicem, & semet ipsam a suis mutationibus discernit.

SCHOLION. Nominalem tantummodo hoc loco suppeditauimus mentis humanae definitionem, praesenti nostro instituto satis accommodatam. Soler quoque a recentioris aevi Philosophis anima realiter definiti, per substantiam Vniuersi repraesentatiuam, sed pro situ corporis organici in Vniuerso, it. per substantiam creatam & simplicem facultate reflectendi & volendi praeditam, & sic porro. Omnes vero hae mentis humanae notiones, ita mihi comparatae videntur, vt facili negotio cum nostra conciliari, imo quoque ex eadem deduci ac deriuari queant. Scholastici adhuc generaliore ac latiore de anima fouent conceptum, dum principium quodlibet vitale corporis organici pro eadem venditant. Vnde tria iisdem exsurgunt animarum genera, animae vegetatiuae, sensitivae & racionales, quod transeundo addidisse sufficiat, sicuti nec instituti ratio permittit, existentiam animae humanae vberius ostendere, de qua nimirum quilibet satis conuictus esse poterit, qui modo certus est, quod is existat, qui actu sibi est conscius. Praesupponere itaque licebit animae H. existentiam, sicque ad sequentia progredi.

§. II.

Quaelibet agendi patiendique possibilitas dicitur *potentia* seu *facultas*.

§. III.

Quaelibet rei in mente repraesentatio dicitur *idea* seu *perceptio*. Quando perceptibile a reliquis distinguere valemus, perceptio *clara*, sin minus *obscura* vocatur. Si vero in re percepta plura separatim a se invicem, distinguimus, eademque inter se conferimus *distincta*, si minime *confusa* adpellatur perceptio.

SCHOLION. Sic v. g. repraesentatio arboris cuiusdam in mente est idea seu perceptio. Quatenus arborem a reliquis distinguo, perceptio est clara; quatenus vero in arbore ramos a trunco, truncum a radice & sic porro discerno, perceptio est distincta.

§. IV.

Immortalitatem mentis dicimus potentiam ejus perseuerandi post mortem corporis sui in statu perceptionum distinctarum.

clarum, & conseruandi memoriam sui. *Persona* dicitur ens, quod memoriam sui conseruat. Mens itaque in statu immortalitatis statum personalitatis conseruet, necesse est.

SCHOLION I. Hic habes L. B. definitionem immortalitatis animae H. prorsus iis conformem, quae de animarum post hanc vitam statu nos edocent S. paginae Luc. XVI. 19. seqq. Hoc enim loco mellitissimus humani generis Recuperator, virum quendam diuitiis abundantem nobis post abitum ex hac vita considerandum proponit. Id si agimus, adfirmari de eo cognoscimus, quod post destructionem corporis locis infernalibus adhuc inclusus fuerit. Ex quo adparet: Illum corpore destructo adhuc superstitens mansisse. Deinde quoque ABRAHAMUM a LAZARO & hunc iterum a reliquis coeli incolis, imo in iis ipsis multa discreuisse, & per consequens perceptiones claras & distinctas (§. III.) habuisse perhibetur. Et denique memoria praeteritorum ipsi tribuitur, dum fratrum & eorum, quae cum fratribus ipsis acta fuerunt, ille recordatus esse dicitur. Quis est itaque qui non videt, immortalitatem A. H. demonstraturum ad tria potissimum momenta atendere debere. Nimirum, vt euctum det: 1.) Animam post mortem corporis esse superstitem, 2.) manere in statu perceptionum distinctarum, & 3.) gaudere memoria praeteritorum. Ad haecce tria capita itaque nobis quoque, qui immortalitatem animae H. ex ratione euictam dare cupimus, maxime erit respiciendum.

SCHOLION II. Definitio nostra personae & cum ea convenit, quam antiquiores dare consueverunt, qua eandem per suppositum intelligentia praeditum enunciarunt. conf. B. JOA. FR. BUDDI *Elementorum Phil. Inscr. Tom. I. p. m. 300. §. 7.* Quod si enim quaeris: quid sit suppositum? Respondetur substantia. Substantia vero ex eorum sententia nihil aliud est, quam ens per se subsistens. Quod autem per se subsistit, memoriam quoque sui conseruat, si antea memoria praeditum fuit, (alias enim non dici potest, quod subsistat) Ergo quoque haec definitiones amice secum invicem conspirare in promptu est.

§. V.

Compositum est, quod habet partes plures a se inuicem distinctas. *Composita*, quae in mundo existunt, dicuntur *corpora*. Quod vero partibus suis caret, vocatur *ens* seu *substantia simplex* siue *mons*.

SCHOLION. Potest primo statim intuitu definitio negatiua, quam in Spbo praesenti de ente simplici suppeditauimus, offendiculo esse Philosophiae rationalis tyroni. Ne vero circa eandem diu haesitet, atque nos in regulas Logices peccasse existimet, quippe quae definitiones negatiuas incompletas pronunciant, hoc loco paucis monere operae pretium duximus, quod & negatiua definitio regulis Logices non sit contraria, quando antea de definiti opposi.

oppoſito diſtincta formata fuerit notio. Id quod, quam hoc loco a nobis factum ſit, nemo noſtrae definitioni entis ſimplicis notam imperfectionis inurere poterit.

§. VI.

Quodlibet ens, quum aut partes habeat aut non habeat, neque tertium fingi aut cogitari poſſit, aut *ſimplex* erit aut *compoſitum*. (§. V.)

§. VII.

Motus nobis nihil aliud eſt, quam mutatio loci continua.

SCHOLION. Definitio haece motus ſatis perſpicua euadet ei, qui ad corpus in motu conſtitutum, v. g. ad globum vi pulueris pyrei ex ſclopeto exploſum adtentionem ſuam direxerit. Is enim ſtatim obſeruabit, quod ſemper aliam atque aliam ad corpora coexiſtencia relationem accipiat, ſicque locum ſuum mutet. Carteſius eundem per translationem rei ex vno loco in alterum, ſeu e vicinia vnius corporis, in viciniam alterius, ſed minus accurate definiuit, quippe quum translatio ſub motu tanquam ſpecies ſub genere contineatur, adeoque ipſa genus conſtituere nequeat. Definitionem vero Ariſtotelis, qua eundem per entelechiam rei poſſibilis, quatenus eſt poſſibilis exponit, ita eſſe comparatam, vt & perſpicacioribus euidentiam ſuam denegat, quilibet certe ambabus mihi concedet manibus.

§. VIII.

Compoſito nulla accidere poteſt mutatio niſi per motum. Quum enim compoſitum ſit, quod ex partibus conſtat; (§. V.) Nulla quoque in compoſito mutatio locum habere poteſt, niſi quae per partes ipſius eſt poſſibilis. Jam vero non aliam compoſito per partes poſſibilem mutationem nobis concipere poſſumus, niſi vt ipſi accedant partes, quae antea eidem non inerant, aut quae adſunt, ab eodem ſeparentur, aut denique ſibi inuicem ſubſtituantur, vt adeo ſitus partium longe alius exiſtat, ac antea fuit. Hoc vero quando ſit, partes locum ſuum ſemper mutant. (quod per ſe patet) Nulla igitur compoſito contingit mutatio niſi per motum (§. VII.) Q. E. D.

§. IX.

Cogitare dicitur ens, quando ſibi repraeſentationum ſuarum eſt conſcium.

§. X.

Entia compoſita ſeu corpora cogitare non poſſunt. Quicquid enim cogitat, repraeſentationum ſuarum ſibi conſcium eſſe debet.

debet. (§. IX.) Compositis vero & per consequens quoque corporibus (§. V.) quibusuis nulla prorsus mutatio contingere potest nisi per motum. (§. VIII.) Ergo si corporibus competeret repraesentationum conscientia seu cogitatio, ea quoque ex motu esset deriuanda ac explicanda. Ex motu vero nulla vnquam ratione conscientia illa repraesentationum potest exculpi aut effingi. Inde manifeste adparet, quod corpora aut composita omnino cogitare nequeant. Q. E. D.

SCHOLION. Vult atque desiderat propositionis huius dignitas, vt alia adhuc demonstratione eandem circumseptam firmemus. Nimirum ens, quod cogitat, spontanea quadam vi repraesentandi, & repraesentationes tam diu, quam placet conseruandi instructum est. Id quod experientia rerum plurimarum magistra nos satis abunde edocet, si modo ad sensationem nostram internam adtenti sumus. Possumus enim v. g. repraesentationes terebus metaphysicis in nos producere, & hasce productas repraesentationes tam diu apud nos conseruare, iisdemque inhaerere vsque dum placet, eadem cum aliis repraesentationibus rerum iucundis pariter ac vtilibus commutare. Quod si vero corpori siue composito cogitatio competeret, eiusmodi quoque vis spontanea res sibi repraesentandi ipsi esset adscribenda, quae quum omnis mutatio ipsi per motum accidat. (§. VIII.) necessario quoque ex motu esset explicanda. Jam vero eiusmodi spontanea repraesentandi vis legibus motus, & praepriis primae eiusdem legi aperte repugnat, vi cuius corpus motum seu in motu constitutum vniformiter indirectum permanere debet. Ergo quoque vnusquisque haud fundatum esse facile perspicit, adfirmare, quod corpus siue compositum cogitare possit. Q. E. D. Repugnare itaque videtur, vt ex demonstratione adparet, essentiae compositi, quae tantummodo in modo compositionis consistit, cogitatio. Hoc quamuis verum nihil tamen minus materialistae in contrariam abeunt sententiam, perceptiones rerum in mente per motum materiae alicuius subtilissimae in cerebro explicantes, omnemque cogitandi actum, quem sibi inesse experientia conuicti sunt, in artificiosa corporis vel potius cerebri structura, rationem suam habere sufficientem strenue adfirmantes. Sed quo iure illud adferere possunt, iudicent Anatomici, quibus fibrillae in cerebro admodum exiguae, & admirando modo inter se coniunctae ac contextae, vt minimorum indagator perindustrius ANTONIUS a LEEUWENHAEK in epistolis Physiologicis, quas Delphis 1719. edidit, & quidem in epistola XXXIV. p. 320. ingenue fateretur, cognitae atque perspectae sunt. Sit quoque materia subtilissima in cerebro, nihil tamen fecius adhuc est & manet materia, quae ex partibus constat, & per consequens compositum est. Et de hacce materia, seu de composito nos in genere probauimus, quod eidem nullae omnino cogitationes adtribui possint. Equidem non diffitemur, dari quoque

que ideas materiales, quae in motu materiae subtilissimae in cerebro factae consistunt, & ortum suum ab impressione ab objectis externis in organa sensoria facta ducunt. Sed eas non esse perceptiones in anima productas, vi quarum nobis repraesentationum objectorum extra nos positorum vel quoque aliorum conscii sumus, est quod in praesentiarum propugnamus. *Nec quoque animus nobis est, negare*: DEVM T. O. M. omnipotentia sua diuina corpori seu composito vim quandam cogitandi adiungere posse: Sed hoc tantummodo demonstrauimus, quod contradictionem inuoluat, materiam seu compositum, per partium suarum structuram ac compositionem cogitare, sibiue repraesentationum suarum conscium esse posse. Sed instituti ratio non permittit, vt longius hac in re sat ardui momenti progrediamur. Plura qui de eadem desiderat, adeat NICOLAI WALLERII Dissertationem Philosophicam: De ineptitudine materiae ad cogitandum, sub Praefidio Celeb. JOH. HEENMANNESSEN *Eloq. & Polit. Prof. Vpsaliae 1729.* habitam. Conferri quoque meretur magnus WOLFFIUS in seinen vernünftigen Gedanken / von Gott / der Welt / und der Seele des Menschen / auch allen Dingen überhaupt §. 738. *seqq.* Nec minus huc pertinere videntur, quae in summi Viri G. G. LEIBNITII principii Philosophiae ab HANSCHIO editis leguntur, quibus nimirum prioribus maior lux accendi potest. Argumentum vero CARTESII pro probanda corporis ad cogitandum ineptitudine, quo nimirum a diuersitate corporis & animae ad diuersa seu opposita cuiusuis praedicata concludit, quum non multum in se contineat roboris, iam sicco, vt aiunt, praeterimus pede.

§. XI.

Mens seu anima humana est ens simplex. Mens enim sui ipsius rerumque aliarum extra se positarum sibi est conscia. (per exper. coll. §. I.) Adeoque animam humanam cogitare in propatulo est. (§. IX.) Corpus vero, vel ens quodcunque compositum non potest cogitare; (§. X.) Anima igitur humana non est ens compositum. Quum autem inter ens compositum & ens simplex non detur tertium. (§. VI.) Anima humana ens simplex sit necesse est. Q. E. D.

SCHOLION. Habes L. B. veritatem quandam demonstratam, quae vero iis, qui imaginationi nimium litant, minus placebit. Qui vero sibi prospicit ab imaginationis fallacis, & ad rectae ac sanae rationis dictamen cuncta reuocat, sicque intellectui plus, quam sensibus, ac imaginationi concedit, is certe dicta non vocabit in dubium, si demonstrationem quoque vel pertransennam tantum perspexerit. Simplicitas haecce Animae H. nobis quoque fundamentum praebet concludendi ad eius incorruptibilitatem, quam euincendam iam iam adgredimur.

§. XII.

§. XII.

Quando ens interire potest dissolutione partium, dicitur *corruptibile*. Si vero minus ita interire potest, dicitur *ens incorruptibile*.

§. XIII.

Mens humana est incorruptibilia. Mens enim humana est ens simplex. (§. XI.) Ens simplex vero nullas habet partes; (§. V.) Ergo anima quoque humana partibus destituitur. Quodcumque autem partibus caret, nec in partes potest dissolui, ac dissolutione partium interire. (quod per se patet) Ergo nec anima dissolutione partium interire potest. Est itaque incorruptibilis. (§. XII.) Q. E. D.

SCHOLION. Haec incorruptibilitas & simplicibus seu monadibus LEIBNITIANIS comperit, ex quibus corpora in mundo consistere in Metaphysicis Demonstratur. conf. Cel. CHR. WOLFFII bernünstige Gedanken von Gott cer. *Cap. II §. 76. coll. acutissimi BVLFINGERI dilucidationibus p. 92.* Et si aliam L. B. adhuc eiusdem rei desideras demonstrationem, illam TIBI subministrat Celeb. MARTINUS KNUTZEN Log. ac Metaph. Prof. Extraord. in Academia Albertina, olim praeceptor nunc quoque pia mente colendus, in Dissertatione: De commercio mentis ac corporis per influxum physicum explicando §. 20. p. 47. habita Regiomonti 1735. Incorruptibilitatem animae vero quod adtinet, eandem suo iam tempore cognovit Latii sermonis parens MARC. TVLL. CICERO, qui *Tusc. Quaest. lib. I p. m. 163.* ita loquitur. In animi cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex: Quod quum ita sit, certe nec fecerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest, nec interire igitur. Est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac directus earum partium, quae ante interitum iunctione aliqua tenebantur. *Huc usque CICERO* Nemo vero existimet, ac si de mente humana non plura adhuc possint praedicari, quam quae ipsi cum reliquis entibus simplicibus communia sunt. Mox enim sequentia aliud probabunt.

§. XIV.

Anima humana post mortem seu dissolutionem partium corporis adhaecum superstes manet. Nam anima seu mens humana est incorruptibilis; (§. XIII.) Adeoque nec in partes dividi sicque dissolutione partium interire potest. (§. XII.) Quando itaque corpus, quod per motum in partes dissolui potest, naturaliter destruitur, mens humana tum quoque omnis profus ex-
pers

pers est interitus. Anima itaque post mortem corporis manet superstes. Q. E. D.

SCHOLIUM. Sic primum adtigimus momentum, ad quod attendendam diligenter est immortalitatem animae humanae ex firmis principiis demonstraturo. Quando autem hic adfirmamus, quod anima post mortem corporis adhuc superstes sit, tunc intelligendum est, quod hoc fiat naturaliter. Eandem enim modo quodam supernaturali a DEO O. M. annihilari posse, non negamus, quippe quam omnipotentia diuina sese ad res omnino omnes extendat, quæ nullam inuoluunt contradictionem. Num autem DEUS id velit, alia est quaestio huc non pertinens, sed ex adtributis potius diuinis resoluenda. Propositum enim nostrum non fuit, ut ostenderemus, summum, quod veneramur, Numen non velle Animam H. in nihilum mutare, sed ut tantummodo ex natura animae eius perpetuam deduceremus existentiam, atque eam semper cum facultatibus suis esse naturaliter permanentem legitimo probare modo. Quod naturaliter destructo corpore adhuc superstit, ac superesse debeat, iam euicimus. Facultates nunc ipsius, quarum conseruationem ipsi adstruere fas est, tantummodo considerandae restant.

§. XV.

Idea vniuersalis est idea similitudinum, quae singularibus insunt. Quando similitudines indiuiduorum sub certa quadam specie contentorum repraesentat, idea speciei; Si vero similitudines specierum sub genere comprehensarum exhibet, idea generis vocatur.

§. XVI.

Facultas efficiendi, ut idea seu perceptio quaedam inter plures alias maiorem nanciscatur claritatem, dicitur *facultas adattendendi*. Actus vero ipse quo id efficitur, dicitur *adentio*. Quumque mentem nostram efficere posse per experientiam stabilatur, ut idea quaedam aliis clarior euadat, quin mens quoque nostra facultate adattendendi praedita sit, dubitari omnino nequit.

§. XVII.

Facultas successiue adtentionem ad ea, quæ rebus perceptis insunt, dirigendi, eademque quoad similitudinem & dissimilitudinem inter se conferendi, dicitur *facultas reflectendi*. Hacce facultate animam humanam quoque instructam esse, eo minus potest negari, quo magis ab actu, quem experientia confirmat, ad potentiam valet consequentia.

B

§. XVIII.

§. XVIII.

Facultas mentis, qua ea, quae in notione distinguimus, tanquam a re percepta, seiuncta intuemur, dicitur *facultas abstrahendi*.

§. XIX.

Idae seu notiones vniuersales non nisi per reflexionem & abstractionem formantur. Ideae enim vniuersales sunt ideae similitudinum, quae singularibus insunt. (§. IV.) Sed per facultatem reflectendi seu per reflexionem rerum similitudines offerimus. (§. XVII.) Ergo quoque per hanc eandem reflexionem, ideae vniuersales formentur necesse est. Q. E. P.

Quoniam autem porro ideae vniuersales, similitudines singularium referunt; (§. XV.) tum quoque, quando notiones vniuersales formamus, id, in quo singularia conueniunt, seu quod commune habent, tanquam ab iisdem seiunctum ac separatam intueamur, necesse est. Hoc vero, quando facimus, dicimur abstrahere. (§. XVIII.) Inde & per abstractionem ideas vniuersales formari, manifestum est. Q. E. A.

§. XX.

Idae Vniuersales a corpore non dependent. Ideae enim vniuersales ex reflexione & abstractione originem suam trahunt. (§. XIX.) Reflexio vero & abstractio, sunt proprie mentis actiones & qua tales a corpore non dependent. Inde quoque ideas vniuersales a corpore non pendere posse in propatulo est. Q. E. D.

SCHOLION. Adfirmamus tantummodo in hocce Spho, quod notionibus vniuersalibus in se spectatis, nihil in corpore respondeat. Quod si autem ideae vniuersales vocabulis designantur, tum ideas sic dictas materiales, seu motus certos in cerebro iisdem coexistere non negamus. Nam vocabulorum dantur ideae sensuales & phantasmata in mente, quum & visu & auditu percipi possunt. Ideis vero sensualibus & phantasmatibus, ideae materiales respondent. Quod in Psychologicis pluribus ostenditur. Inde quoque exortis vocabulorum ideis, in cerebro quoque ideae materiales adesse debent, sicque eo respectu aliquatenus a corpore pendent. Id quod tamen cum ideis vniuersalibus, in se & specialiter consideratis, sese longe aliter habet; quippe quibus, ut ostendimus, nil in corpore coexistere potest.

§. XXI.

Anima H. conseruat post mortem corporis notiones vniuersales. Anima enim H. post mortem corporis adhucdum est superstes.

tes. (§. XIV.) Quodcunque vero anima non habet per praesentiam corporis, per eius absentiam quoque eidem non adimitur, (quod per se patet.) Sed notiones vniuersales anima non habet per praesentiam corporis, quum a corpore non pendeant; (§. XX.) Ergo quoque notiones vniuersales menti per mortem corporis non adimuntur, sed anima post resolutionem partium corporis, quum adhuc superstes sit, easdem conseruare debet. Q. E. D.

§. XXII.

Quum iudicia vniuersalia & ratiocinia notionibus vniuersalibus innitantur; (per Princ. Log.) Anima quoque humana post mortem corporis format *iudicia*, nescit *ratiocinia*, & quae sunt eius generis alia. Imo quum nouae perceptiones, quas per sensus anima accipit, illas operationes superiores, vel ipsa experientia teste, magis impediunt quam promoueant; demtis ideis seu perceptionibus sensualibus, anima post mortem corporis in *formandis iudiciis*, ac *nellendis ratiociniis*, non potest non feliciter progredi.

§. XXIII.

Mens H. post mortem corporis sibi sui rerumque aliarum est conscia. Mens enim H. conseruat ideas vniuersales; (§. XXI.) Neminem vero notionem rei habere deprehendimus, nisi eandem a se diuersam esse cognoscat. Ergo anima H. ideas vniuersales a se diuersas esse intelligit. Est itaque sibi post mortem sui conscia. (§. I.) Sed format quoque anima iudicia & ratiocinatur. (§. XXII.) Quicumque autem iudicat, binas notiones aut iungit, aut separat, & qui ratiocinatur, ex duobus iudiciis tertium elicit. (per princ. Log.) Hoc vero qui facit, notiones & iudicia a se inuicem distinguit (quod per se patet.) Anima itaque H. discernit a se inuicem post mortem corporis ideas vniuersales & iudicia. Est itaque corpore in puluerem redacto sibi rerum aliarum adhuc conscia. §. I. Q. E. D.

§. XXIV.

Si perceptiones mentis fuerint distinctae, dicitur status ille mentis, *status idearum seu perceptionum distinctarum*. Si vero obscurae fuerint, dicitur *status perceptionum obscurarum*.

§. XXV.

Mens H. post mortem corporis perseverat in statu idearum distinctarum. Nam mens H. post destructionem corporis sibi sui rerumque aliarum adhucdum est conscia. (§. XXIII. Notiones itaque quas habet uniuersales, quae inde format iudicia & ratiocinia, tum a semet ipsa, tum in iis plurima a se inuicem discernit. (§. I.) Habet itaque non solum notiones seu perceptiones claras, sed & distinctas. (§. III.) Vbi vero adsunt perceptiones distinctae, ibi est status perceptionum distinctarum. (§. XXIV.) Anima igitur seu mens H. perseverat post mortem corporis, in statu perceptionum distinctarum. Q. E. D.

SCHOLIION. Sic alterum L. B. immortalitatis animae H. momentum, ex legitimis principiis deductum atque probatum dedimus. Quicumque cum Celeb. WOLFFIO stantur, animam cum corpusculo statim esse productam, in quo statu vero perceptiones parum habuisse credunt claritatis & per transformationem corpusculi, quod sub forma animalculi spermatici praexistit, in corpus, qualis in formatione in utero contingit, perceptiones ad maiorem claritatis gradum euectas fuisse, adserunt, ut nimis fiat distinctae, argumento ab analogia desumpto, ad statum mentis perceptionum distinctarum post mortem corporis concludere solent, quum & insignem mutationem per mortem fieri, non facile quisquam sit negaturus. Quantum vero roboris haec argumentandi ratio, ad probandum, animam post mortem corporis permanere in statu perceptionum distinctarum, in se contineat, pluribus haud inepte ostendit PETRUS AHLWARDT Philof. & Elegant. litt. Magister in Academia nostra Gryphica Celeb. in Programme: de immortalitate animae Humanae §. V. hic loci ab eodem an. 1735. publici iuris facti. Quamuis non negandum sit, quod & hoc argumentum plurimum ad confirmandam hancce veritatem facere possit, si de eadem antea ex firmiter principis conuicti fuerimus. Legi quoque de hoc argumento merentur, quae nobis b. LUD. PHIL. THVMIGII Meletemata, Lipsiae & Brunsvigae 1727. edita p. 177. §. 25 seqq. recludunt. Harmoniae Praestabilitae propugnatores, quum omnes animae perceptiones tantummodo harmonice cum corporis mutationibus, vi mentis propriae produci defendunt, inde verissime mentem post mortem corporis hasce perceptiones & appetitus suos continuare, adfirmare mihi videntur. Sed quum hypothesis illa non sit demonstrata, conclusionem quoque ex eadem factam lubrico superstructam esse fundamento, quilibet facile potest perspicere. Sed iam ad tertium ac vltimum momentum pedem promouere licebit, quod in eo consistit, quod anima quoque post mortem corporis sibi sui rerumque praeteritarum recorderetur, & memoria tum quoque sit iustrecta

§. XXVI.

§. XXVI.

Facultas ideas reproductas adgnosendi seu recognoscendi, dicitur *facultas recordandi*. Facultas vero recordandi facilitatem conseruandi *memoria* adpellatur.

SCHOLION. Non me opus habere arbitror, explicare vterius, quid sit reproducere, quum clara huius vocis idea iam suppetere, quilibet quoque ad semet ipsum adtentus, interna experientia edoceri possit, animam H facultate quadam pollere, ideas seu perceptiones rerum sensu antea perceptarum, reproducendi, quae alias imaginatio vocari solet. Sicuti & per experientiam solet stabiliiri, mentem H. facultate quadam recordandi, & memoria esse praeditam atque instructam. De nostra definitione memoriae vero notandum est, puod magis vsui loquendi sit accommodata, quam quae alias a Viris quoque Celeberrimis solet suppeditari.

§. XXVII.

Anima seu mens H. post mortem corporis facultate recordandi est praedita. Mens enim H. quum destructo corpore adhuc sit superstes, (§. XIV.) perseuerat in statu idearum seu perceptionum distinctarum. (§. XXV.) Et per consequens habet perceptiones distinctas. (§. XXIV.) Per legem autem imaginationis anima semper producit ideas seu perceptiones, quae cum praesentibus, aliquid affinitatis habent. (per Princ. Psychol.) Ergo quoque anima post mortem corporis perceptiones producit, quae cum iis, quas distincte sibi repraesentat, quidpiam habent cognationis vel affinitatis. Quumque nulla adsit ratio, quare easdem non recognosceret, seu adgnosceret, quod eaedem sint, quas antea habuerit; Anima quoque ideas seu perceptiones reproductas adgnoscit. Est itaque post mortem corporis facultate recordandi praedita anima humana. (§. XXVI.) Q. E. D.

SCHOLION. Potest idem quoque adhuc alia ratione ostendi. Nimirum anima H. pollet post mortem corporis facultate ratiocinandi (§. XXII.) Quicumque vero ratiocinatur, ex duobus iudiciis tertium elicit. (per princ. Log) Si itaque vnum tantummodo adest iudicium, lex imaginationis aliud quoddam producit, ex quibus tum ratiocinatio fieri possit. (per princ. Psych.) Conf. Celeb. CHRIST. WOLFFII vernünftige Gedancken von Gott/ der Welt/ der Seele des Menschen etc. Cap. III §. 242. seqq. Ergo quoque anima post mortem corporis, si vult ratiocinari, praesente vno iudicio per legem imaginationis, alterum producit. Quumque eandem illud antea se iam formasse, adgnoscerere probabili quadam specie negari nequeat. Inde quoque ex hoc fundamento animae H. post mortem corporis facultatem recordandi adscribere fas est.

§. XXVIII.

Anima H. post mortem corporis memoria adhuc praedita est. Anima enim H. gaudet destructo corpore facultate recordandi. (§. XXVII.) Sed omnis facilitas seu habitus exercitatione acquiritur. (per exper.) Ergo si anima sibi saepenumero rerum recordatur, facilitatem sibi quandam recordandi, imo hancce facilitatem conseruandi acquirit. Quumque hoc memoriam dicimus. (§. XXVI.) Anima quoque H. post mortem corporis memoria erit instructa. Q. E. D.

SCHOLION. Vindicauimus sic memoriam animae Humanae post abitum ex corpore suo organico, & inde patet animam tam sui quam rerum aliarum post mortem corporis conseruare memoriam i. e. anima adgnoscat se eam esse, quae antea illos status subierit, nunc vero praesentes experitur. Imo quoque addi potest, quod status animae post mortem in iis rationem habere debeat, quae eidem antea, quum corpori adhuc vnita esset, infuere. Quemadmodum enim in vniuerso corporeo omnia connexa sunt, sic quoque eiusmodi nexus in mente adesse non sine ratione adfirmari mihi videtur. Ad priorem itaque statum animam ob nexum facile recurrere ex hoc quoque fundamento admodum probabile est.

§. XXIX.

Quum persona dicitur ens quod memoriam sui conseruat. §. IV. Mens quoque humana post corporis interitum statum personalitatis conseruet necesse est.

§. XXX.

Anima seu mens H. est immortalis. Anima enim seu mens humana post mortem corporis adhucdum est superstes. (§. XIV.) Perseuerat in statu perceptionum distinctarum (§. XXV.) & conseruat memoriam sui (§. XXVIII.) Ens vero cui haecce praedicata competunt, dicitur immortale. (§. IV.) Ergo quoque Anima humana est immortalis. Q. E. D.

SCHOLION. Sunt & varii generis alia argumenta quibus mentis H. immortalitas solet probari. Cel. RIDIGERUS ex eo, quod anima perennare, summaque continuo beatitudine frui auidè desiderat, ad eius immortalitatem concludit, quippe quum D. O. M. non frustra eiusmodi cupiditatem menti indidisse sibi persudeat. Vid. eiusdem Anweisung zu der Zutriebsheit der Menschlichen Seele p. 118. §. 42. seqq. Non ita autem comparatum hoc argumentum mihi esse videtur, vt omni exceptione maius esset. Si autem ad voluntatem Dei respicis, vnde nimirum quaestio resultat: Num Deus quoque animam humanam in nihilum velit redigere, an potius eandem conseruare, quum iam natura sua sit indestructibilis? Tum ad adtribu-

ta

ta digna nobis erit recurrendum. Nimirum quoniam Deus in summo gradu iustus est, ille quoque rependet cuius secundum opera sua (conf. Theol. Nat.) Jam vero experientia nos docet, non ita cuius in hac vita accidere, quum boni saepe numero fortunae malignitate premantur, mali vero in delictis consenscant. Inde quoque per iustitiam Dei concludere licet, animam H. destructo corpore adhucdum manere superstitem, & esse immortalem. Firmius adhuc illi mihi argumentari videntur, quicumque a fine summi Numinis, nempe a promotione gloriae diuinae, quae in repraesentatione perfectissimorum DEI adhibitorum consistit, ad mentis immortalitatem concludere solent. De hoc argumento, qui plura desiderat, adeat iam antea citatum Programma Praecl. M. AHLWARDT, de immortalitate animae, ubi illud uberius deductum deprehendet. Tractationi vero huic nostrae maiorem adhuc adfundere possunt lucem, & quae leguntur in HUMFREDI DZEDNICE Abhang der Wahrheit der Christlichen Religion, ins teutsche übersetzt durch GABRIEL WILHELM GÖTTGEN Braunschweig und Hilbesch. 1732. & quae nobis exhibet antea iam allegata Dissertatio b. LUD. PHIL. THVMMINGII, de immortalitate animae ex eius intima natura demonstrata, quae Meletematibus suis fuit inserta.

S. D. G.

THESES
RESPONDENTIS

- I. Praestat disputatione vinci, quam vincere.
- II. Qui in Logica non antecellit alios, in nullo eruditionis genere illos antecellere potest.
- III. Logica naturali qui est contentus, & artificialem spernit, aegrotto est adsimilandus, qui medicamenta oblata impie respuit.
- IV. Tritum illud: Discentem oportet credere, si eius veritatem respicis, non satis sibi constat.
- V. Adfirmare: Quod methodus Mathematica ad Atheismum dux existat; Perinde est accidere: Theologiam ad vitam protervam & impiam autorem esse.
- VI. Methodus Mathematica in scriptis dogmaticis est optima.
- VII. Metaphysica non habet osorem, nisi ignorantem.
- VIII. Studium Mathematicum illi praepremis est commendandum, qui confusus cogitationibus inhaerere solet.

AD

AD
VIRVM JUVENEM
OMNI DOCTRINÆ VIRTVTISQVE LAVDE
MVLTO ORNATISSIMVM
PRAENOBILISSIMVM ATQVE PEREXIMIVM
DN. RESPONDENTEM
SIBI
OB MORVM ELEGANTIAM
COMMENDATISSIMVM
COMPELLATIO
P R A E S I D I S.



Non temere a me factum esse existimo, vt
iam in laudes TVAS AMICE SVAVIS-
SIME, excurrere satagam, quum TE pu-
blico dignissimum esse praeconio, me qui-
dem interprete, extra omnem dubitatio-
nis aleam positum sit. Haec autem dum molior, tam
latus certe sese mihi aperit orationis campus, vt quo-
minus eundem dimetiar, & virium imbecillitas, & pla-
gulae

gulae huius angustia prohibere videantur. Sed quam-
uis iam dicendi vbertate excellere mihi non sit conces-
sum, nihilo tamen fecius non possim, quin paucis tan-
tummodo hac data occasione publice profitear, me ab
eo tempore, quo amicitiae vinculo Tecum coniun-
ctum esse mihi licuit, apud TE animum, ad quævis stu-
diorum solidiorem doctrinam spirantium, genera, ad-
tentum, ad patranda[m] virtutem promptum, & ad
vtilia expedienda negotia deprehendisse idoneum. Sic
litterarum ardore virtutumque ductus amore collegi-
sti aliquid, & in posterum adhuc colliges, quod recon-
dere, quoque semper frui licebit. Sed quid opus est, vt
quantum eruditione & doctrina valeas, vberius præ-
dicem? quum ipse huius rei testis eris locupletissimus,
qui hodie Dissertationem præsentem strenue & mascu-
le defendendam in TE suscepisti. Age igitur AMICE
DILECTISSIME conscende mecum intrepido animo
cathedram, augustissimum illud explicandæ eruditio-
nis & acquirendæ laudis theatrum, firmissima spe
fretus, fore vt NVMEN æternum conatibus hisce
TVIS nunquam non laudandis benignissime adsit,
quod idem NVMEN & ipsemet supplex iam veneror,
vt TE in dulcissimæ patriæ ornamentum, repurgatæ
doctrinæ præsidium, & TVI TVORVMQVE gaudi-
um ac solatium per longam annorum seriem, quæ
ipsius est gratia, conseruet, auxilioque suo divino con-
firmet. Et sicuti amor erga TE meus, nec in remo-
tissimis terris vnquam extinguetur, sic TE quo-
que mei nunquam fore immemorem mihi per-
suadeo certissime. Dab. Gryph. VII. Cal. Aprilis A. R. S.
MDCCLXXXVIII.

)(

Cum,

Cum, TE chare mihi doctas scandente cathedras,
Ostendis, curae quam TIBI sint studia;
Gaudia concepta hinc fido TIBI pectore testor,
Exponam verbis illa tamen brevibus:
Omnipotens Numen mentem viresque secundet,
Auspicio fausto quo TVA coepta cadant,
Quae nunc coepisti, pergas, sic praemia tandem
Digna TIBI Numen magnanimum statuet.
Ordine qui pandis mentem qua morte carentem;
Sic immortalis gloria semper erit.
Caetera quae posco, memori sub pectore serves
Aequae meum nomen; continuo valeas.

*Hiscæ paucis NOBILISSIMO NEC NON
DOCTISSIMO DN. RESPONDENTI
de edito publico hoc doctrinae specimine gratula-
lari suiq̄ue memoriam commendare voluit ei
deditissimus*

FRID. ALBERT. BRACH.




Greifswald, Diss., 1738-40

ULB Halle
005 360 79X

3



5b





2.

1738,10

11

DISSERTATIO PHILOSOPHICA:
DE
**IMMORTALITATE
ANIMAE HUMANAE,**
QVAM
ADJUVANTE DEO
ET
PERMITTENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
ORDINE,
IN ACADEMIA GRYPHICA,
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,
PRÆSES
**M. PAVLVS CAROLVS
PEETSCHIVS,**
SMALANDO-SVECVS,
RESPONDENTE
ALBERTO BEHRENS,
RACVIENSI-POM.
PH. & S. THEOL. CVLTORE.

P. 525.

HABEBITVR DISSERTATIO, DIE XXVI. MARTII, MDCCXXXVIII.

GRYPHISWALDIAE,
EX OFFICINA CAROLI HÖPFNERI, REG. ACAD. TYBOGR.

